





37.  
234.  
38  
1642,9.  
SELECTARUM JURIS QUÆSTIONUM

Ad faciliorem Paratitlorum Wesenbecii intel-  
lectum directarum.

DISPUTATIO XII. Ad lib. 3. tit. 3. n. 4.

# DE PERSONIS, QUÆ PROCURATORES

## CONSTITUERE

### POSSINT,

### VEL NON.

#### SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,

J. U. D. & IN FLORENTISSIMA INCLYTÆ

REIPUBL. ARGENTORATENSIS UNIVERSITATE Cod.

ac Feud. Placit. P. P. Patroni, Promotoris ac Præceptoris

sui omni observantiæ & honoris cultu

prosequendi:

## SOLENNITER

proposita

à

JUSTO FRIDERICO Schöner / Svinf. Franco.

In Auditorio majori

Mensis Martij d. 16.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL.

Anno M. DC. XLII



V I R O  
NOBILI AC PRÆ-  
STRENUO  
DN. PAULO Worsheuser/  
REGIÆ SVECICÆ MAJ: EXER-  
CITUS GENERALI ME-  
TATIONUM PRÆ-  
FECTO,

DN. Patrono & cognato suo jugi  
honoris & observantiæ cultu  
prosequendo

disputationem hanc legalem  
in sui commendationem  
ea, qua par est, submissione  
offert & consecrat

Justus Fridericus Schönert/  
Svinf. Francus.



DISPUTATIO XII. Ad lib. 3. tit. 3. n. 4.

DE PERSONIS, QUÆ PROCURATORES CONSTITUERE POSSINT, VEL NON. RESPONDENTE

IUSTO FRIDERICO Schönner / Svinf. Franco.

Quæstio 1.

AN Excommunicatus procuratorem possit constituere? Id quidem simpliciter negat Wesenb. h. eumque secutus Treutler. 1. disput. 9. th. 2. B. Rütger. Ruland. p. 171. 1. de commissar. lib. 4. c. 13. num. 11. ubi rationem addit: quia sua culpa impediatur procuratorem constituere Nituntur etiam præcipuè c. ult. x. de procurat. qui textus licet loquatur de Procuratore universitatis, & in præ. contrarium dicere videatur, quasi procurator universitatis ided non sit repellendus, quod Rectores & consules universitatis excommunicati fuerint: Tamen in exceptionibus satis hæc sententia fulcitur, quod scil. repellatur ejusmodi Procurator (1) si mandatorum excommunicatorum nomina in literis procurationis sint expressa. (2) vel si illorum autoritate procurationis constitutio processerit, vel (3) ipsa universitas excommunicationis conscia, simul cum eis procuratorem ordinaverit. ¶ Obiter etiam hîc notandum, Giphanium retulisse, se aliquando à Professore Canonum I. quæsisse, quis hic intelligatur procurator ad impetrandum, sed responsionem sibi sufficientem non retulisse. Nos commodissimam ex c. 1. de rescrip. in 6 (quod omnino cum hoc ult. conjungendum est) ut & ex c. 28. & t. 1. x. cod. dari posse arbitramur. Ita enim vulgò etiam impetrantes & implorantes pro supplicantibus in praxi dicuntur c. 20. ibi: mendax precatore carere debet impetratis. d. t. Budæus in indice Gallico rerum forensiû: les impetrans de lettres Royaux, vertit, Diplomatarios. ¶ Distinguunt autem alij, an procurator ab excommunicato detur ad agendum, an v. ad defendendum: ut sc. ex-

Ad n. 4. v. Procuratorem constituere.

A 2 com-



communicatus, cum actionem nulli movere queat, nec procuratorem ad agendum constituere valeat. per d. c. ult. x. h. t. c. de cetero. 11. (hoc cap. puto. Boccerum citare voluisse, neque enim cap. habetur in illo tit. ullum, quod incipiat decernimus) de sent. excomm. c. exceptionem. 12. de Except. c. eod. in 6. Cum verò, si conveniatur, jure naturali se defendere queat, tum & ipsum comparere posse, c. dilecti. 8. & c. dilecti. 10. x. de Except. & per alium respondere debere. c. intelleximus. 7. de judic. post. Gail. 2. de P. P. c. 12. num. 22. Boccer. class. 6. disput. 6. th. 9. & 10. Georg. Schultz. part. 1. process. judic. c. 11. nu. 33. ubi hodie excommunicato. hac in parte equiparari scribit bannitum imperij, licet in aliis ab eo differat. Hiltrop. part. 1. proc. judic. tit. 21. num. 46. ubi ex d. c. 7. rationem hanc assignat: quod alias excommunicatus, siquidem conveniri judicialiter non posset, ex malitia sua commodum sentiret. & cum defensio juris naturalis sit, ea excommunicato non sit deneganda. Vicissim rectè dici, eum, qui ipse agere prohibeatur, nec alium dare posse ad agendum, ne una via concedatur, quod alia denegatum est. c. cum quid. 84. de R. I. in 6. ita ut nec exceptionem per modum reconventionis introducere queat. Costalius ad l. liber. tus. 14. de in jus voc. Gail. d. c. 12. n. 30. Eandemque distinct. tradit post. ceteros. CC. Cujac. in d. c. 7. Quod excommunicati neminem convenire possint, nec per se, nec per alium in judicio: (quoniam excommunicati extra conditum (rectius legas convictum) & consuetudinem hominum esse & versari jubeantur: At si conveniantur, tum causam suam agere & de jure suo experiri, non quidem per se, sed per alium, posse & debere: Ne alioquin excommunicatio ipsis immunitatem præbere & potius prodesse, quam nocere videretur. ¶ Dn. D. Ummius licet disputat. 3. de Procurat. n. 10. Gallium alleget, tamen indistinctè iterum negat, excommunicatum procuratorem dare posse: quia nullum actum legitimum is exercere possit, & pro mortuo habeatur. ¶ Sed rectius tamen præmissæ distinctioni insistemus per d. c. 7. x. de judic. cujus explicationem. vide apud Vallens. libr. 5. parat. 39 § 3. num. 6. Licet enim commercium excommunicatis prohibitum sit, maxime Ecclesiæ & Reipub. can. ad mensam. caus. 11. q. 3. tamen ea, quæ juris naturalis sunt, ei adempta non censentur. arg. § 11. inst. de I. N. G. & civ. Nec procuratoris constitutio ad actus legitimos rectè refertur. arg. § 1. Inst. de iis, per quos ag. poss. ¶ Et ab hac distinctione forte nec Wesenb. & alii sup. laudati abhorret. Si exclusio eorum de Procuratore in specialissima & stricta significatione sumto exaudiatur. v. C. Arg. th. 2. n. 3. cui hæc exceptio addenda est in th. 16. ut sane eadem habetur in tit. Manda. in th. 9. n. 7. & 8.

Q. 2. An minor curatorem habens sine ejusdem N. 4. vers.  
 autoritate procuratorem possit constituere? Negativam ite- Pupillus.  
 rum tenet Wesenb. h. vers. pupillus. ibi: Item minor, qui curatorem habet  
 (subaudi procuratorem) constituere nequit, nisi curatore auctore per l. 11. C. h.  
 cui, ut solet, ad stipulatur Rosb. prax. civ. tit. 19. n. 5. Umm. disp. 3. de pro-  
 cess. n. 12. quia scilicet res suas nec administrare, nec se ita sine consensu  
 curatoris alii obligare possit, ut quidem ejus conditio reddatur dete-  
 rior. l. 3. C. de in integr. rest. Bacho. in comm. ff. h. t. c. 2. n. 2. p. 800. Giphano.  
 in comment. C. ad l. 11. C. h. t. n. ult. Hiltrop. part. 1. process. tit. 21. num. 47.  
 ¶ Contrariam & affirmativam sententiam recipit C. I. Arg. h. t. th. 17.  
 n. 3. ibi: potest curatorem dare & pubes, sive minor 25. annis, idq; & cum con-  
 sensu curatoris & sine eo per l. 14. C. h. t. l. 43. §. 3. h. l. 23. de Minor. ita au-  
 tem thesin istam exprimendam fuisse, in recognitione indicatum est,  
 Et ex auctore, ex quo petita est, ad oculos liquet: Est is, Jul. Pacius,  
 qui in method. C. de procurat. c. 4. n. 7. ita scribit: Pubes minor 25. an-  
 nis procuratorem potest constituere, vel auctore Curatore,  
 l. 11. C. h. t. vel etiam sine curatore, nec propterea illi dabitur  
 restitutio: confer. C. I. Arg. inf. Mandati th. 10. n. 1. ¶ Quamquam au-  
 tem pro excusatione istorum auctorum dici queat, eos fortè de mino-  
 re curatorem non habente loqui: Si quis tamen eorum opinionem  
 in terminis directè contrariis velit defendere, huic Wesenb. respon-  
 debit l. 43. §. 3. h. t. loqui de minore curatorem non habente. Eademq;  
 responsione etiam l. 23. de Minor. vers. si autem (ubi nullius curatoris fit  
 mentio) itemque l. 14. C. h. t. eludet: vel potius cum Gothofr. dicet:  
 Sustineri sententiam in favorem minoris latam, qualitate procurato-  
 ris non attenda, quæ omninò attendetur, si contra minorem sen-  
 tentia lata fuisset l. acta 45. §. ult. de re judic. quam thesin suam fecit &  
 latius deduxit Treutl. 1. disp. 9. th. 4. per tot. ¶ Vera ergo est Wesenb.  
 sententia, minorem, qui curatorem habet, non posse ad res eas, quas  
 curator sub sua administratione habet, procuratorem sine eo dare. Cui  
 isto enim temperamento accepta sententia, facile propugnabitur:  
 conf. sup. de pactis n. 5. in vers. item minores. Carpz. p. const. t. de fin. 3. n. 5. N. 4. vers.

Q. 3. An minor invitus curatorem extra judicium quod sui  
 (sive ad negotia extrajudicialia) habere cogatur? Agi de hac potro.  
 questione poterat alibi commodius: sed quia ea ab auctore nostro hic  
 primum definitur, nec alibi uberius discutitur: nisi tribus verbis in-  
 titulo de tut. & curat. dat. & in tit. de autor. tut. n. 4. ipsius vestigia legenti-

A. 2.

tibus

tibus hinc prætereunda non erit. Pugnare autem circa ejus determinationem imprimis videntur. §. 2. *inst. de curat.* in verbis *inviti adolescentis curatores non accipiunt.* & *l. 1. §. ult. de minor.* in verb. *nec ante (25. annum) rei sue administratio eis committi debet, quamvis rem suam bene gerentibus.* ¶ Auctor dum hinc d. §. 2. ad extrajudicialia restringit hæc obsecratè *d. l. 1. §. ult.* ad judicialia refert, quod etiam facit Osterman. *in rat. decid. ad d. §. 2. arg. t. r. C. de in lit. dand. tutor. vel curat.* idem tamen Wefenb. *in comm. ad d. §. 2. Inst. n. 5.* distinguit inter dationem curatoris, & concessionem liberæ administrationis; ut *invitis* quidem adolescentibus curator non detur: interim tamen nec libera administratio permittatur, maximè cum de alienatione bonorum agitur *d. 10. de auth. tut.* Et hoc posteriore modo etiam litem hanc componit Cujac. *in comm. ad d. l. 1. vers. hodie.* ¶ Neutra istarum solutionum placet: loquitur enim *l. 1.* generaliter & expresse de regimine extrajudiciali in universum, non de potestate alienandi tantum, itemque in sensu conjuncto, non diviso. conf. A. Fabr. *in rat. decid. ad d. l. 1. §. ult. de minor.* Cujus tamen explicatio nimis restricta est, cum *d. §. 2.* accipit *d. minore*, qui nunquam fuit sub tutore, forte quia tempore mortis patris jam pubes erat. Sed textum *l. 1. §. ult. de minore*, qui tutor è aliquando habuit, licet pubes factus desinat tutorem habere: cui idè rerum suarum administratio permittenda non sit. Reclamat enim utriusque loci generalitas. ¶ Aliter respondet Timæus Faber. *disputat. 9. thes. 2.* nempe (1) *d. l. 1. inf.* non agere de *invitis*: Ergò commodè accipi posse de *volentibus*, *scientibus* & *desiderantibus*: vel (2) historicè id *d. l. 1. fin.* referri, non juridicè disponi: quo posteriore modo hanc antinomiā etiam conciliare videtur Umm. *disput. 3. de procurat. n. 12.* distinguens inter juris sanctionem *l. decisionem*, & penitissimam juris rationem (*puta pr. inst. de curat.*) atque inde depromptum *l. 1. §. ult. de minor.* Repugnat enim particula *illatiya*, & idè: item vox *debet*, & in *l. 2.* vox *recipiat*. Itemque comparatio *l. 1. C. qui pet. tut.* ex qua intelligitur, eos etiam, qui ad aliorum instantiam petiti sunt, ab *invito* recipi debere. ¶ Itaq; malim cum Giph. Bacho. Loca Riem. Vngep. & aliis *ad d. §. 2.* dicere. *l. 1.* loqui de adolescentibus, qui curatores jam habent constitutos, ut sensus sit: *minoribus*, qui jam curatores, ut plerumq; fieri solet (*arg. vocis hodie, & vocis reguntur: nec enim dicitur, regendi sunt vel regi debent ex necessitate juris*) acceperunt, *rei sue administrationem ante 25. ætatis annum committi non debere: puta à curatoribus illis, quos sponte acceperunt, vel certis de causis.* Quod si autem quaestio sit de adolescente curatorem ab initio non habente,

tum,

tum, illum non nisi certis de causis ad petendum & accipiendum curatorem ad negotia extrajudicialia cogi posse, dicemus. ex d. §. 2. Nempe si vel tutor urgeat pupillum, ut curatorem petat, cui rationes tutelæ gestæ reddat. l. 7. C. qui pet. tut. vel curat. Vel debitor, qui pecuniam minori tuto solvere cupit. l. 7. §. sed etsi. de minor. Pacius 2. Enantioph. 88. (quibus ipsis tamen casibus minorem planè invitum curatorem accipere negat. C. I. A. de tut. & curat. dat. th. 17. adhibetamen l. 1. C. d. t.) vel nisi prodigus aut demens sit. A. Fab. in rat. decid. ad d. l. 1. Et hanc interpretationem persuadet l. 2. h. t. cujus particula initialis & copulativa nec, connexionem cum præcedentibus manifestè requirit. §. Planè illi, qui tempora distinguendo respondent, Ulpianum in d. l. 1. §. ult. ex usu suorum temporum loqui: Tribonianum v. in d. §. 2. sui seculi praxin respicere: quanquam invari videntur particula hodie (qua idem significatur, quod hoc ipso tempore, quo ego scribens vivo. l. 1. de his qui sui vel. quæque solet Ulpianus frequenter uti in designandis suorum temporum moribus. l. 1. de curat. furiosi. l. 7. §. 6. de minor. vide Brisson. 1. select. antiq. 3. ubi ostendit, vocem hanc propriè id signare. moribus quibus vivimus: eodq; nominatim h. l. 1. trahit) Attamen adversarium habent quadantenus ipsum Ulpianum aliosque Ictos iis locis, quibus innuunt: suis quoque temporibus non coactos fuisse accipere curatores. d. l. 7. §. 2. ibi: aut curatorib. solvi, si sint. l. 11. §. 3. h. t. confer l. 1. §. hæc quidem 4. cum seq. qui pet. tut. ubi indicatur, regulariter neminem puberi curatorem petere, nisi ipse petat. l. 1. §. 7. C. qui pet. tut. l. 13. §. ult. ibi: desiderantibus. ff. eod. Bachov. Instit. & parat. Wel. h. lo. §. De consuetudine etiam Germaniæ quidam tradunt, adolescentibus omnibus curatores dari etiam invitis: idque probati putant Constit. Caroli V. Reformation zu Augsp. de Anno 1548. tit. von den Pupillen vnd Minderjährigen &c. §. 1. in verbis: bis sie zu ihren Boatharen vnd Manbaren Jahren kommen. G. Schulz in Synops. Inst. tit. de Curatorib. lit. D. Quod Dn. D. Meiero in comment. ad d. §. 2. non probatur: cum verbum Boathar ambiguum sit, & alias dicendum quoq; sit, testamenti factionem puberibus ademptam esse. conf. Reform. Policeenordnung der Statt Franckfurt. part. 7. tit. 8. §. 1. ibi: So werden ihnen bis zu vollkommlichen ihrem Alter der 25. Jahren / oder bis Sie Ehlich bestattet / auff der Freundschaft / auch ihr selbst bittliches ansuchen von der Obrigkeit Vorsteher oder Besorger / in Latein daher Curatores genandt / verordnet vnd aegch n. §. De jure singulari in persona Electorum, quorum minorennitas usque ad 18. annum est perfecta, vide cap. 7. Aur. Bull. & post Buxioff, Rumelin,

Arum. 1. discurs. 19. 20. & 21. Dionys. Gothofr. & Marq. Freher. tractat. pecul.  
 § De problem. ipso. add. G. Schultz. ad tit. 1. de Curat. lit. a. Hillig. 3. D. E. 18. e.

n. 4. vers.  
 quod si  
 porro.  
 verb. ad  
 judicia v.

Q. 4. An ad lites seu iudicium necessario cogatur mi-  
 nor curatorem accipere? Id v. affirmat Welenb. pereund. § 2. ubi  
 Dd. communiter. Ummius d. disp. 2. de procur. n. 12. Corvinus in Enchi-  
 rid. sub tit. de Curatorib. quest. 7. § Aliter tamen loquitur Cujac. ad d. l.  
 43. § 3. h. t. ubi dist. An curator ad lites petatur adolascenti presentem,  
 an absentem. Si presentem, tum voluntatem ejus requiri si ve consen-  
 tientis si ve repudiantis: quo demum casu posteriore curator invito  
 detur. Si absentem, tum etiam reversum petere alium curatorem pos-  
 se, neque cogi ratam facere procuratoris dationem se absente factam.  
 § Bachov. in comment. ad d. §. 2. Instit. de curator. distinguit. An minor  
 agat, an conveniatur. Si agat, curatore inquit, opus habet aut  
 petito, aut approbato: alioquin negabitur ei actio. Si conveniatur,  
 itidem per curatorem respondere tenebitur aut ultro sumtum, (id est,  
 acceptum; ne intelligamus à minore ipso curatorem ad judicia dari posse.  
 quod reprobatur ipse Bachov. 1. disp. Treul. 9. th. 2. D. fin.) aut à Prætoribus datum.  
 Et hætenus, invitum eum recipere curatorem, intelligendum est.  
 § Excipiunt Bart. & Dd. ad Auth. Sacramenta. n. 22. C. de judic. casum,  
 quo minor jurejurando adhibito procuratorem ad lites constituerit,  
 tum enim omnia, quæ cum procuratore gesta fuerint, valere volunt.  
 Guid. Pap. quest. 35. & 494. Verum, quia ea res non excludet benefi-  
 cium restitutionis, si minor læsus sit, l. cum & minores 4. C. si adv. reus  
 jud. consultus & hinc facturus est is, cui lis cum minore fuerit, si eum  
 curatorem ad litem petere coget. l. 1. C. qui pet. tut. vel curat. vid. Ant.  
 Fabr. lib. 2. C. tit. 17. definit n.

si adv. vend.

Ad n. 4.  
 vers. nul-  
 lus.

Q. 5. An nullus omnino procuratorem constituere  
 possit, nisi qui litis sit dominus? Negat indistinctè gloss. in l. n. C.  
 h. t. in verbis, *facere possunt*: Licet aliquis sit quasi dominus. Quam se-  
 quitur Welenb. h. i. Ummius disput. 3. de Procuratorib. th. 3. n. 11. ubi plu-  
 res allegat, nisi quis saltem per litis contestationem sit Dominus effe-  
 ctus, gl. in l. 8. C. d. t. § Verum Dn. Rittershus differentiam hinc quan-  
 dam constituit inter jus Civile & Canonicum lib. 5. differen. 12. in med.  
 Quod jure Canon. prælatus legatur procuratorem constituere, etiam  
 ante litem à se contestatam in c. petitio 9. x. de Procurat. ubi Joh. Baptistæ  
 Vivianus longè animosius in Rational. hanc differentiam inculcat, dum scri-  
 bit: *Non attendi de jure Can. illam subtilitatem juri Civ. ut non sit dicen-  
 dus procurator, nisi ille, qui constituitur à vero Domino: Ideo licet Episcopus*

non sit verus Dominus Episcopatus, sed potius Administrator seu Procurator cap. 2. de Donat. tamen deputari ab eo procuratorem posse. c. salvator. caus. 1. q. 3. Idemque And. Vallens. in parat. de procurat. §. 1. n. 4. procuratoris vocabulum jure Canon. latius patere docet: cum etiam is hoc loco procurator dicatur, qui à non domino constituitur, veluti à Prælato, vel aliis clericis in causis Ecclesiasticis. c. 1. & pass. h. t. & c. olim 12. de restit. spoliat. ¶ Sed non videtur differentiarum census hanc specie rectè augeri: Cum enim Episcopus & similes prælati non sint simplices & nudi administratores, sed simul usufructuarii: ut ipse Rittersh. fatetur per l. 4. vers. Bona C. de Episc. & Cler. l. 21. C. de SS. Eccles. Treutl. 1. disp. 15. th. 8. B. ubi Rei Vind. ipsis concedit; imò qui plus juris & potestatis quadantenus habeat. c. nosti. 9. ibi. concedendi honores, præbendas & alias disponendi de rebus Ecclesie, & passim x. de Elect. & elect. pot. Fructuarius autem nullibi prohibeatur ad litem, quæ rem fructuariam concernit, constituere procuratorem, sed aliquot locis non obscure admittatur. l. 1. C. de bon. matern. l. 6. §. 2. C. de bon. qu. lib. Rectè etiam prælati sub communi & consentiente J. Civilis regula relinquuntur.

Q. 6. An procurator, alium substituere possit? Duplex hinc quæstio ab autore insinuatur, quarum altera cum à nonnullis cum altera confundatur, ut à Schleisio, in notis hinc, & ab ipso Mynsing. hinc allegato: Si principium observationis conferatur cum vers. sed quid de eo. cumque ab aliis ista tantum tractetur, ut à Treutl. & Bach. 1. disp. 9. th. 3. juvabit utramque seorsim excutere. Et in hac quidem resolvenda communiter adhibetur distinctio, an Procurator litem contestatus sit: nec ne: quam & Wel. hinc proponit. Cui tertium membrum addit Umm. d. disput. 3. n. 11. ut scil. procurator ad negotia datus etiam ante litem contestatam substituere possit ad negotia: non etiam ad agendum per l. si procuratorem §. 1. (hunc enim allegare eum voluisse credo) Mandati. Atque ita ibid. glossa inter procuratorem ad agendum & ad administrandum etiam distinguit. Et declarat amplius Ant. Faber ad verb. tenetur autem in rat. decid ubi differentiarum rationem hanc assignat: quod procurator ad negotia administranda datus non indigeat contestatione, ut alium procuratorem ad negotia administranda substituat fecit l. servum. l. 33. & l. mutus 43. de procur. ¶ Philippus Francus super 6. de cretal. de procurat. ad cap. 1. n. 2. regulam negativam constituit: quod procurator regulariter non possit substituere alium procuratorem: Eam regulam fallere ait, in quatuor casibus. (1) post litem contestatam. (2) quando in rem suam est datus. (3) quando habuit mandatum ad substituendum. (4) quando est datus ad negotia. Addit &

n. 4. vers.  
ab ea &  
contesta-  
ta & c.

B

aliam

aliam exceptionem post Azon. Treutl. 1. disput. 9. th. 3. lit. a. ut is quoq; sine respectu litis cōtestationis à se factæ, (qua Dominus litis redditus fuisset) substituere possit, qui ipse demum post litem cōtestatam constitutus fuit: quod Bachovius, post Castrensem ita limitat, si dominus eidem actiones cesserit. Alii ita: si procurator prius aliquem actum in causa exercuerit. Hartmannus *ti. 7. obs. 3. n. 5. per l. 2. C. de confort. ejusd. lit.* ¶ Plenius ergò hæc ita prævio Bonifacio in *cap. 1. de Procur. in 6.* videntur enuncianda: ut discernamus inter procuratorem ad negotia & inter eum, qui ad lites datus est. Ille substituere alium semper potest, etiam si dominus id ei specialiter non permiserit. Cujac. *lib. 3. Paul. ad Ed. in l. 11. de pact. p. 55. B. per d. c. 1. lex enim allegata nullibi comparat.* (ubi duos casus excipit, (1) si factus sit procurator ad alienandam rem aliquam: quia ea res sit magni momenti. *l. pen. § item adiiciendum. de divers. & temp. præscr.*) (2) si factus sit procurator ad contrahendum matrimonium nomine mandantis. *c. ult. de procur. in 6.* Addunt Dd. (3) generaliorē exceptionē, nisi personæ industria nominatim sit electa, adeoque aliud provisum. Menoch. 2. *presumpt. 38. n. 2.*) Iste datus est vel in rem suam & ante litis cōtestationem rectè constituit procuratorem. *l. illam 33. C. de donat. c. 1. & 5. de procurat. in 6.* Bach: & Treutl. *d. lit. a. vel in rem alienam, & vel ad agendum vel ad defendendum.* Hic, si iudicatum solvi satisdederit, etiam rectè procuratorem alium ante litis cōtestat: substituere: *arg. l. licet 42. § ult. h. Ille vel ab initio litis introducendæ vel post litem à Domino ipso jam introductæ, & post ordinatum iudicium constitutus fuit. Prior demum post litem à se cōtestatam alium substituere, non ante: per text. à C. A. adductos inf. Mandati th. 9. n. 5.* (nisi à Domino substituendi aliū, quem voluerit, concessam obtinuerit potestatem *d. cap. 1. vers. licet a. de procurat. in 6. quem vers. per rationes dubit. & decid. exponit Bachov. in comment. ff. de procurat. cap. 2. n. 1. p. 800.*) Posterior, si autore Prætoris lis in eum fuerit translata. Atq; ita fortè declarari potest Mynsing. *sententia 1. obs. 43. vers. sed quid de eo, cum Bachov. ad Treutl. d. l. pag. 345. & in comm. de procurat. c. 2. n. 1. p. 800.* Hodie plerumque solet mandatis procuratoriis inseri hæc clausula, *Nuch einen oder mehr an vnd afferanwâlde an seine statt zu vntersehen, den oder die / so offte ihme noth zu sein bedüncket / zu wideruffen.* Volckm. *de art. Notar. part. 2. c. 34. n. 4.*

Ad eund.  
Vers. ab ea.

Q. 7. An substitutus (à procuratore primo) alium (tertium) possit substituere? Hartmannus Hartmanni, licet quæstionem hanc à superiore distinxisset. *d. tit. 7. obs. 3.* tamen priorem tantum tractat, præsentē autem, utpote à Præceptore suo Wurmsero discus-

sam



rectè sumat: in judiciis regulariter nequeat: Excepta causa injuriarum & similibus. Rationem hanc subindicans: quia filiusfam. regulariter ne ipse quidem in judicio agere queat: Unde nec alium ad agendum possit constituere. ¶ Et quia Ictus in l. 8. §. 1. 33. non dubitat thesin affirmativè concipere, nec nobis valdè ambigendum erit; dummodo utrobique terminos habiles substituamus. Sic enim *extra judicium* filiusfam. procuratorem dare poterit in bonis adventitiis, quæ ipsi pleno jure acquirantur: (& multo magis ergo in castrensibus & q. castrensis.) Pater verò procuratorem dabit in iis bonis, quorum proprietas ad liberos, ususfr. ad ipsum pertinet. l. 1. C. de bon. mater. C. I. A. inf. Mandati, th. 10. n. 3. & 4. In judicialibus itidem, quoties ipse agere vel conveniri potest, toties etiam rectè procuratorem dabit. Dantur autem (1) filiofam. actiones ratione castrensis peculii. Giph. ad l. 8. h. t. n. 3. (2) ratione peculij adventitij, quod ipsi pleno jure adquisitum fuit. l. 8. pr. & vers. filiusf. simili modo. C. de bon. quæ lib. (3) item actio injuriarum, confer. not. Bachov. ad h. locum. (4) & utiles mandati, depositi, l. 18. §. 1. de judic. Giph. d. l. ¶ Hodiè filiosfam. qui 25. ætatis annum exceßerunt, liberius dare procuratores, observavit Rutg. Ruland. d. l. cum post eam ætatem plerumque rerum suarum administrationem obtineant.

Ad m. 4.  
Serf. stat. n.  
liber.

Q. 9. An & statuliber, qui de statu suo litigat, rectè procuratorem det? Rectè monet Bachov. in not. ad Wes. h. c. autorem verbo statu liberi abuti, dum illud sumit pro eo, qui de statu suo litigat: Cum statuliber sit is, qui statutam & destinatam in tempus libertatem habet. l. 1. de statulib. ubi Wes. ipse in parat. Sive ut Cujac. tr. 8. ad African. in l. 61. §. ult. de furt. pag. 1129. e. de finit: sit servus, cui relicta est directa libertas in diem vel conditionem. Idem in recit. C. de testam. manum. ait statuliberorum nomen tribui tantum directò manumissis sub conditione vel in diem: non etiam similiter manumissis per fideicommissum: Quia statuliberorum nomen sit ex 12. tabb. quæ non noverint fideicommissa add. P. Gregor. 14. Syntagm. c. 5. n. 15. Eaque differentia etiam demonstrari potest ex collatione l. 12. & 14. de question. ¶ Et sane de utroq; subjecto diversimodè respondendum est: Nam statuliber propriè dictus, cum servis rectius annumeretur. l. 1. l. 6. l. 29. de statulib. non poterit etiam procuratorem dare. arg. l. 33. h. t. Umm. disp. 3. de process. n. 9. At quin is, qui de statu suo litigat, procuratorem dare possit, vix ambigendum esse ait Ictus in l. 33. §. 1. h. t. Cujus loci hæc est sententia: qui de statu suo litigat, sive ex possessione libertatis in servitutem petatur; sive è converso ipse ex possessione servitutis in

liber-

libertatem proclamet, procuratorem habere potest, non solum ad negotia, sed etiã ad lites (extra hanc ipsam causam status) quia quod ad cæteras causas interim pro libero habetur. l. 14. C. de liberali caus. Pacius in method. C. h. t. cap. 3. n. 8. vers. 3. Addidi extra causam status: Nam olim de suo statu litigans eam litem nec ipse, nec per procuratorem exequi poterat, sive ex libertate peteretur in servitutem, sive ex servitute in libertatem proclamaret, quo minus absens duceretur in servitutem aut damnaretur. autore Paulo lib. 5. sent. tit. 25. Sed per adsertorem causam agebat. l. 1. C. Theod. de liberali causa. Cæterum quia sæpenumero difficulter inveniebantur adsertores, diuque trahebatur aliquando iudicium liberale, quærendi adsertoris gratia, Cujac. in recit. C. ad tit. de assert. toll. concessum fuit ei, qui ex libertate peteretur in servitutem; per seipsum causam agere, sine adsertore, tanquam libero. Cujac. d. l. vers. hodie. adeoque, ut etiam procuratorem dare posset. Ei v. qui ex servitute in libertatem proclamaret, neque dum concessum fuit causam status per procuratorem agere. Cujac. d. l. Quas distinctiones quadantenus etiã designavit gl. in verbo servitutis, & Giph. ad d. l. 33. §. 1. eademq; subinnuit C. I. A. h. t. si ib. 17. n. 7. conferatur cum d. 16. n. 4. & cum d. 29. n. 5.

Q. 10. An captus ab hostibus saltem actorem & curatorem facere possit? Hoc velle videtur Wes. dum eum, qui hostium potitus est, procuratorem quidem dare posse negat: quod in confesso est omnibus. Treutl. i. disp. 9. §. 2. d. G. Schultz. in processu judiciar. part. 1. c. 11. n. 33. vers. 2. ita, ut nec annotationem peculiarem mereri visum sit Collegio Argentinensi d. 16. & 17. h. t. Interim illud scrupulo non caret, quod autor ex adverso asserit, eum, qui ab hostibus captus est, actorem aut curatorem bonorum facere posse. ¶ Ex una n. parte moveri potest, captivos in servitutem deduci: & servos hostium fieri. §. 5. Inst. quib. mod. jus Pat. pot. solv. l. 1. §. 1. de captiv. & postlim. revers. ubi Cujac. in parat. adeoque omnia jura civitatis una cum libertate amittere, juxta l. 1. l. 12. §. si quis ab hostib. d. t. Wesenb. ibid. n. 1. Ex altera legimus, captivum bon. poss. petere & acquirere posse. l. 1. §. ult. unde cognati. quod sane ipse captivus facere nequit, sed per curatorem aut procuratorem, ut diserte scribit Cujac. in recit. ad l. 1. §. proximus. unde cognati. ¶ Veruntamen, quia captivus hinc consideratur, qua captivus, & durante adhuc captivitatis nexu, eoque respectu nihil in civitate valiturũ operari potest: Wesenbecij sententia ita sublevanda erit: Quod curatorem bonorum aut actorem habere quidem captivus possit; sed

Ad n. 45.  
Vers. captus ab host.

B. 3.

procu-

procuratorem non æquè. Ratione diversitatis ea: Quod curatorem magistratus bonis & absentis & ignorantis possit constituere, Anto. Faber in Rational. ad l. 15. pr. in verbis. Si curator, (ut plerumq;) fuerit bonis constitutus. Ex quib. caus. maj. Procuratorem autem dare nequeat is, qui servis annumeretur. arg. l. 33. h. t. Et ita nimirum fieri solet, ut captivo, vel potius captivi bonis. plerumq; soleat constitui curator d. l. 15. l. in possessione 6. §. ult. quib. ex caus. in poss. eat. l. idem privilegium 22. §. 1. & l. ult. de privileg. credit. Curatore autem non indiget is, qui suis rebus superesse potest per procuratorem l. 1. §. usus. h. t. ¶ Licet autem certum sit absenti dari posse bon. poss. l. servus 7. de bon. poss. neque minus illud in confesso sit, & per curatorem vel procuratorem bon. poss. adquiri posse (secus quam hereditas l. per procuratorem 90. l. si quis alicui 48. de adquir. hered.). Non tamen inde concludendum & inferendum est, captivum etiam ipsum met sibi procuratorem s. curatorem posse constituere, sed potius ita habendum, quod curator ad hunc effectum, petendæ nimirum bonorum possessionis, detur etiam absenti. d. l. servus 7. de bon. poss. ubi v. gloss. in verb. & non petenti. Itemque quod eam servus aut fœmina pro absente petant. d. l. 7. & l. pen. de bon. poss. aut etiam curator bonorum jam antea à Prætore datus.

Ad n. 4.  
Ser/mu-  
tus & sur-  
dus.

Q. II. Quid in l. 43. h. t. denotent verba illa PER EUM MODUM, QUI PROCEDERE POTEST? Aliqui hæc verba in conditionem resolvunt, & ita explicant: Mutus tamen rectè dat procuratorem, si id, quod agitur, intelligat. Giphani. in comm. ad d. l. 43. n. 2 per l. 2. de bon. poss. furios. infant. mut. & c. Cujac. in Paul. lib. 9. ad Ed. ad d. l. 43. inductus autoritate Græcorum, qui hæc verba ita exprimunt, κατὰ τὸν εὐδεχόμενον τρόπον. ¶ Alii modum consentiendi subintelligunt, ut gl. in d. l. 43. in verbo procedere. ibi: nutu vel scribendo, si sit literatus. quam sequitur Wesenb. h. in verbis: eo modo procuratores dent, quod dare possunt, videlicet nutu vel scriptura. ¶ Quæquam autem verum sit mutum & surdum talem requiri & præsupponi, qui id, quod agitur, intelligat, nec plane rerum ignarus sit, quod idem in gestione pro herede. l. mutum 5. de adquir. hered. & petenda atque agnoscenda bonorum possessione desideratur. l. servo 65. §. si pupillo 3. ad SC. Trebell. (Si enim ponas, esse quem surdum & mutum à naturâ, res expedita est, non posse ab eo procuratorem dari, ut nec aliquid fieri, in quo possit requiri conclusio & probatio certæ voluntatis, inquit Ant. Faber. in rat. de id. ad d. l. 43. pr.) Vix tamen id his verbis innuitur, quippe quæ non ad qualitatem dantis, sed ad modum dationis respiciunt, ut ad-  
eo gl.

ed gloss. explicatio præferenda & hic sensus d. l. 43. constituendus sit. Quamvis regulariter & eo modo, quo aliæ personæ procuratores dant, mutus & surdus dare eos non possint. *arg. l. vel fundo. 20. de Reb. auth. jud. possid. possunt tamē per eum modum, qui procedere potest, id est, mutus per scripturam, si literas sciat, aut nutum: Surdus etiam voce, si loqui sciat, &c, quid loquatur, intelligat. Ant. Fab. d. loc. C. I. A. th. 17. n. 10. & 11.*

Q. 12. An necessaria sit Bachovij circa *vers. PLURES*, ad monitio, Autorem ibi non esse conjunctim, sed divisim accipiendum? Resp. Videri posset necessaria, si autor conjunctione copulativa usus fuisset: tum enim magis appareret etiam diversitatis ratio inter judicia duplicia. Verum quia Wesenb. utitur adverbativa particula *AUT*, ideo nota hæc videtur esse gratis adjecta. Siquidem particula ista sua natura est disjunctiva. *l. ille aut ille. 25. pr. de legat. 3. l. Titio. 74. de legat. 2. atque adverbativa, & quæ poni solet inter diversa. l. aut facta 16. de pœnis l. 3. cum duab. seqq. de donat. mort. caus. Galganett. de differ. individuorum lit. A. n. 103.* Unde apertissimum est Autorem hoc velle: Plures actores ex una parte consistentes per unum etiam procuratorem agere posse: Ex altera etiam parte plures reos per unum procuratorem se defendere posse: Cum id plerumque etiam sit commodius. *l. 3. §. pen. judic. solvi.* Aliud est in judiciis divisoriiis per rationem diversitatis subjectam.

Q. 13. An l. 25. cum Auth. subjecta C. h. t. quæ de personis illustribus loquitur, exemplificativè an determinativè sit accipienda? Exemplificativè accipit Wesenb. in verbis cujusmodi sunt personæ illustres. Particula enim cujusmodi *h. loc.* ponitur pro ut, vel quemadmodum, quæ vocabula plerumque stant exemplificativè, uti loquitur & probat Farinac, *part. 4. consil. 95. n. 6.* Ea; sententia fuit veterum interpretum. Ita enim Odofredus ad hanc l. *In l. ista ponuntur certa personæ, quæ causas pecuniarias debent exercere per alias personas, non per se.* Et post alios Sichardus *n. 2. h.* ita eam Auth. ait summari: *constituti in dignitate, ut sunt illustres, non possunt per se litigare in judiciis, sed debent hoc facere per procuratorem.* Quam loquendi formulam etiam retinet C. I. A. *h. t. th. 15. ibi: ut illustres personæ.* Sed alii, qui *Novellam 71.* penitus inspiciunt, docent determinativè hoc accipiendum esse & neminem hodie prohiberi coram litem civilem peragere, præterquàm magnificentissimos illustres: care-

ros autem in dignitate positos, ut clarissimos & spectabiles, rectè per se causam agere: cum aliorum dignitas à cæteris ita discernatur, ut nec, si velint, procuratorem ordinare possint, *juxta pr. d. Nov. 71.* Rittersh. *part. 9. Nov. c. 9. n. 6. & seqq.* & ex eo solito more rem describens. Matth. Stephan. *ad d. Nov. 71. consent. Pacius in method. C. h. t. c. 4. n. 6.* ¶ For- san utraque docendi formula ita componi poterit, si dicamus, excipi quidem illustres, sed ita, ut multo magis excepti intelligantur illi, qui dignitate hos superant. Gudelin. *lib. 4. de jure Noviss. c. 4. n. 31. & 32.* quales fuere consules & patritij. *idem lib. 5. c. 5. ubi post Alciatum & Duaren. dignitatum distinctiones & nomina exponit.* ¶ An autem & illustres ad egestatem redacti hodie ipsi audiendi sint in judi- ciis civilibus, dubitat Rittersh. magisq; affirmat *n. 14.* Nos negativã cum autore tuebimur, quia causa admissionis spectabilium *in d. Nov. 71. pr.* non est confundenda cum rationibus prohibitionis illustrium *in d. l. 25. & c. 1. Nov. 71.* Nimirum illustres in judicio comparentes ex privilegio sedere apud judices poterant, eoque judicium suspectum reddebant: ex altera parte inhonestum videbatur dignitatem horum cum aliis litigatoribus confundi. *l. ult. C. ubi Senator. vel Clariss.* Hinc itaque constitutum, ut per procuratores litigarent. Cum autem in clarissimis nec metus potentia nec ἀπαξίωσις tanta sit, ratio alia arbitrii ipsi vel per se vel per alios comparenti permisit. v. Joach. Ste- phani. *ad d. Nov. 71.*

*Ad Gerf.  
jure nostro  
Sax.*

Q. 14. An jure Saxon. mulieribus litigantibus demum ad earum petitionem, an v. ex officio curator ad litem constituatur? Prius velle videtur Wesdum ait: *jure Saxon.* (Nam jure civili mulieres in propriis causis & pro se ipsis in judicio comparere, & tam agendo, quam defendendo causam suam tueri possunt. *arg. l. 4. ibi: nisi in rem suam. C. h. t. l. feminas. 41. ubi Giphon. plures alias except. habet. ff. h. r.*) petentibus demum tutorem litis, eimen fricqischen Vormünder à judice praefici. ¶ Contrarium apparet ex Constit. Electoral. *part. 1. const. 15. §. Deroweagen.* & aliis locis, quæ novissimè allegat Carpzo *part. 1. juris p. forens. const. 1. de fin. 30 in f.* ubi ait, *judices mulieribus ex officio curatores ejusmodi dare, etiamsi desuper non fuerint implorati, ne scil. judicium elu- datur.* Atque ita etiam sentire videtur ipse autor *sup. de postul. n. 4. in verbis: unde illi curator in litem datur: & in h. n. 4. vers. femin. e. ibi: nam non habentibus tutorem aut intercessorem, judex ipse constituit.* ¶ Itaq; huc locum exaudiemus de eo quod plerumq; facere solent mulieres mo- destæ: Locos oppositos de infrunitis & pertinacibus, quibus vel in- vitis curatores tales adjunguntur. Ad eorum quæ sequuntur decla- rationem adhibe omnino Dn Carpzo *v. d. l. de fin. 31. 32. & 33*

*F I N I S.*

ULB Halle  
005 714 745

3



VD17







SELECTARUM JURIS QUÆSTIONUM

Ad faciliorem Paratitorum Wesebecii intel-  
lectum directarum.

DISPUTATIO XII. Ad lib. 3. tit. 3. n. 4.

DE PERSONIS, QUÆ

PROCURATORES

CONSTITUERE

POSSINT,

VEL NON.

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS OTTONIS TABORIS,

J. U. D. & IN FLORENTISSIMA INCLYTÆ

REIPUBL. ARGENTORATENSIS UNIVERSITATE Cod.

ac Feud. Placit. P. P. Patroni, Promotoris ac Præceptoris

sui omni observantiæ & honoris cultu

prosequendi:

SOLENNITER

proposita

à

JUSTO FRIDERICO Schöner / Svinf. Franco.

In Auditorio majori

Mensis Martij d. 16.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPII.

Anno M. DC. XLII